

et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae; quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus: quod longe secus est. Ut enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute, et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita iudicet: ita in amicitiiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim Africanus erat indigens mei? Minime hercle: ac ne ego quidem illius. Sed ego admiratione quadam virtutis ejus, ille vicissim, opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit benevolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multae, et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam, (neque enim beneficium foeneramur), sed natura propensi ad liberalitatem sumus: sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. Ab iis vero, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt. Nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum, ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus: ipsi autem intelligamus, natura gigni sensum diligendi, et benevolentiae caritatem, facta significatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicant sese, et propius admovent, ut et usu ejus, quem diligere coeperunt, fruantur, et moribus; sintque pares in amore, et aequales; propensioresque ad bene merendum, quam ad repositum. Atque haec inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur; et erit ejus ortus a natura, quam ab imbecillitate, et gravior et verior. Nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret: sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Ortum